



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 103. Titulus XXXV. De Parochialium Ecclesiarum Rectoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.
A. C. 1584.

§. CIII.

Titulus XXXV. De Parochialium
Ecclesiarum Rectoribus.

Titulus trigesimus quintus de Parochis sexdecim circumscribitur Canonibus, ex quibus primus ita sonat: *Curati non instituantur nisi idonei, & ab Episcopo probati, & viginti quinque annos nati, & juxta formam a Concilio Tridentino præscriptam.*

Canon II. *Rectores Ecclesiarum parochialium manuale semper præ manibus habeant, quo possint de his, quæ sunt sui ministerii, rationem reddere.*

Canon III. *Curent, ut pœnitentiæ, & aliis Sacramentis administrandis idonei Sacerdotes substituatur: confessionibus vero audiendis præficiantur doctiores ad eum numerum, quo populo satis sit, & ad id eos cogant Episcopi, cum opus erit.*

Canon IV. *Curati possessione adæpta, ordines sacros secundum tempora a Canonibus constituta suscipere non differant, ut ministerium sibi creditum quam citissime per seipsos adimplere possint, sub pœnis a jure constitutis.*

Canon V. *Resideant, ut Missas parochiales per seipsos celebrent, & suo muneri satisfaciant.*

Canon

Canon VI. *Iis, qui suum munus* Sæcul. XVI:
A.C. 1584.
perficere, & exequi per se non possunt,
substituatur Episcopus idoneos Vicarios.

Canon VII. *Paræcias, in quibus*
est numerosior populus, dividant Episcopi,
si id necessitas postulet, & commode fieri
possit, ut facilius omnes fideles spiritualem
alimoniam in diversis locis recipiant.

Canon VIII. *Monasteriis præfecti,*
qui jus præsentandi habent, occurrente pa-
ræciarum sibi subditarum vacatione curatos
idoneos nominent Episcopo, qui in illis
divina officia celebrare, verbum Dei prædi-
care, Sacramenta digne administrare pos-
sint, nec Monachi ad munus paræciæ ad-
mittantur.

Canon IX. *Abbatēs, Priores, Ca-*
pitula, & alii, ad quos paræciales Eccle-
sie primo, vel primitivo jure pertinent,
officium debitum, & consuetum, & celebra-
tionem Missarum, & horarum per se, aut
per idoneas personas suis sumptibus in iis
exequi cogantur.

Canon X. *Monachi beneficiis cura-*
tis non præficiantur: sed sæcularia sæcu-
laribus, & regularia regularibus tantum
conferantur.

Canon XI. *Inquirant Episcopi, Ar-*
chidiaconi, aut alii eorum nomine visitan-
tes, in eos, qui decimas, quas debent, aut
in rem suam vertunt, aut quoquo modo
non solvunt, aut solvere volentes impediunt:

Hist. Eccles. Tom. I.

N

hi

Sæcul. XVI. *hi autem cujuscunque sint gradus, aut conditionis, auctoritate Episcopi excommunicentur. Contumaces judici sæculari denuntientur.*
A.C. 1584.

Canon XII. *Ubi parochialium Ecclesiarum fructus adeo sunt tenues, & exigui, ut ad alimoniam Curatorum sufficere non possint, curabunt Episcopi alia quocunque beneficia, modo non sint regularia hujusmodi Ecclesiis annexi, & uniri, quod si ea ratione illis consuli non possit, iidem Episcopi efficiant, ut per primitiarum, aut congruæ portionis assignationem, ex omnibus decimis Ecclesiasticis, quæ in illis parochiis colliguntur, aut per parochianorum symbola, & collectas, aut qua commodior eis ratione videbitur, ita earundem Ecclesiarum redditus augeantur, ut Rectorum necessitatibus sufficiant: & inter visitandum, quam summarie fieri poterit, opportunis remediis illis consulatur.*

Canon XIII. *Parochi, seu curati in aliis Ecclesiis Vicariorum munus non exercent: sed in propriis Ecclesiis suo munere fungantur, & avaritiæ, aut turpi quæstui non studeant.*

Canon XIV. *Fabriciani, aut quæstores collectarum, quæ pro defunctis fieri solent, curato rationem reddant, & pecunias inde provenientes singulis diebus eidem, & aliis Presbyteris, pro ea parte, quæ singulos contingit, bona fide persolvere compellantur.*

Canon

Canon XV. *Presbyteri, & alii Clerici, qui in parœciis sunt, aut in iis domicili-um habent, publico Ecclesie parochialis officio cum habitu decenti, pileo quadrato, & superpelliciis intersint, ac cum Rectore Missas matutinas, & alias horas celebrent: alioqui Ecclesie commodis, & proventibus eo ipso sint privati: quod si contumaces extiterint, excommunicentur.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1584.

Canon XVI. *Siqui parochi domos non habebunt, curent Episcopi, ut Parochianorum expensis extruantur.*

§. CIV.

Titulus XXXVI. *De Beneficiis.*

Septem Canones recitantur in titulo de beneficiis, quorum primus ita profertur: *Cum beneficium Ecclesiasticum non otiosis, sed officium suum exequentibus, sit constitutum, & propter officium detur beneficium: denuntiat hæc Synodus omnibus cujuscunque gradus, & conditionis, qui beneficia Ecclesiastica solius temporalis proventus gratia suscipiunt, eos non facere fructus suos, sed ad restitutionem teneri.*

Canon II. *Omnes beneficia possidentes ad suam provinciam rite sustinendam volens excitare hæc Synodus statuit, ne quis deinceps plura beneficia parochialia retineat: illi vero, qui in præsentem plures parochiales obtinent, quibuscunque dispensationibus, aut unionibus ad vitam non obstantibus,*

N 2

una